

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0398

0396

0402

0392

0407

0387

0447

0347

0497

0297

0897

385

onus a se rejicit et hoc facto magno cursu aufugit et vix capi se permittit. Magna cura haec bestia videtur custodire onera, ne decident, cautissime enim pedes ponit, ne pedes laedat et ne onera cadant, nam sub pede cameli est multa carnositas, et in ejus fissura corium simile ei, quod est in pedibus anserum, ideo caute ambulat; viam, per quam semel ambulavit, semper scit sine duce, etiam si via sit operta pulvere vel arena per ventum adjecta. Et hoc necessarium est per desertum, in quo nullae viae manent propter arenarum motum. Non tantum parantur hae bestiae ad onera vehenda, sed etiam ad bella ducuntur, ad quae tamen foeminae vel camelae validiores sunt quam cameli. Castrantur autem, quando duci habent ad proelium. Et tantum de illo.

### Camelarii.

Camelarii vel dromedarii sunt magistri camelorum. Porro nostri camelarii per desertum erant conducti per nostrum Trutschelmannum de villulis Palaestinae in terminis Arabiae. Erant autem rusticelli, nigri ut Arabes, Sarracenis et Arabibus servientes, cum Arabibus confoederationem habentes, de ritu maledicti Machometi. Non enim sustinuissent Arabes incolae deserti ductores vel camelarios puros Sarracenos; sed illos in pace dimiserunt, quia eis confoederati et ritu, veste, moribus eis conformes. Ea de causa asinarii nostri, qui erant Christiani orientales, per desertum euntes conformabant se vestibus et moribus camelariis, ut ab Arabibus minus molestantur; isti camelarii et asinarii in nostro itinere continue litigabant simul, non tamen se percutiebant, nobiscum vero pacem habebant simulatam propter pecuniam, quam a nobis habere sperabant.

De his camelariis et asinariis in processu multa venient dicenda, nunc ad alia procedamus. Sequitur de solitudine.

Ende

Anfang